



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

Capitvlvm . Ex parte.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

Qui autem per alium facit, perinde est, ac si faciat per seipsum, reg. 72. in 6.

NOTANDUM IV. Fructus beneficii vacantis in eiusdem utilitatem expendi, aut successori reservari debent. Ita habetur in fine huius c.

## CAPITVLVM V.

Ex parte.

## PARAPHRASIS.

Aliquis ab Episcopo suo excommunicatus, à Pontifice absolutionem impetrauit, causam excommunicationis aham, quam re ipsa erat, præterens; queritur, vtrum talis pro absoluto habendus sit. Resp. Alexander III. Si Episcopo certo constat, quòd ille veram excommunicationis causam supprimendo, & falsam suggerendo Pontifici imposuerit, debet ipsum per censuras compellere, vt cum literis eiusdem Episcopi verum causæ processum continentibus, ad Sedem Apostolicam se conferat. Sin autem non certo constat, sed suspectum duntaxat hominem habet, de suppressa veritate causæ, tunc eum compellat ad canonicam purgationem coram ipso præstandam, videl. vt testes idoneos afferat, qui testentur illum causam excommunicationis suæ fideliter exposuisse Pontifici.

## SUMMARIUM.

1. Impetrans absolutionem ab excommunicatione subreptitiam, per suppressionem veræ causæ, & suggestionem falsam non debet censi absoluitus.
2. Si quis de crimine commisso verisimiliter suspectus sit, potest ei canonica purgatio indici.

NOTANDUM I. Impetrans absolutionem ab excommunicatione subreptitiam, per suppressionem veræ causæ, & suggestionem falsæ, censi non debet absoluitus. Ratio est: Quis ad absolutionem à censura ex parte absoluentis duo requiruntur; pote-

itas & voluntas. Tamen autem in Papat non desit potestas, validè absoluedi excommunicatum, non subsistente, aut ignorata iusta absoluedi causa, vt constat ex c. venerabilibus 27. §. sanè, vers. vbi autem, de sent. excom. in 6. tamen præsumendum non est, Papam ita absoluedi velle, si per falsa narrata circumuentus sit, arg. c. 2. de filijs Presbyt. in 6. Quòd si verò aliquis ex pluribus causis excommunicatus, v.g. ob Clerici percussione, & Ecclesiasticæ immunitatis violationem, absolutionem impetret expressè vna causa, & altera suppressa, valebit absolutio ab vna excommunicatione, altera permanente, iuxta c. cum pro causa. 7. de sent. excom. Sed non rectè Gl. hic ait, ver. redire, duabus irretitum excommunicationibus indigere duabus absolutionibus: Imò verò sufficit vna absolutio, dummodò absoluentis potestas, & voluntas se extendat ad veramque. Plerumque tamen in absolutione additur causa, ob quam censura contracta: *Absolutio ab excommunicatione, quam contraxisti ob Clerici percussione &c.* Vide quæ dixi lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 2. c. 6. n. 10.

NOTANDUM II. Si quis de crimine commisso verisimiliter suspectus sit, potest ei canonica indici purgatio. Ita habetur in c. 51. quis, 4. de purgat. canonica, vbi Gl. ait Verisimilis suspicio inducit purgationem canonicam, idemque hic tradit Ioann. Andr. n. 10. Abb. n. 7. Imola n. 7. post Innocent. sine huius c. qui tamen bene monet, requiri grauem seu vrgentem suspicionem, eamque publicè probabilem; alioquin non indicendam purgationem canonicam, nisi ei, qui publicè apud viros probos infamatus est. Et hoc casu verum est dictum Gl. fin.

CAPITVLVM VI.  
Significauit.

## PARAPHRASIS.

Aliqui consanguinitate, vel affinitate coniuncti, tanquam veri coniuges sint, conuiuiebant: eos Episcopus, cum separari contumaciter recusarent, excommunica-